



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 134. Urbes in eodem Regno a Duce Calabriensi occupatæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. Centiglia Marchio Cotronensis, qui insu-
A. C. 1459. per eidem Calabriensis Ducatus imperi-
 um pollicebatur, suasque illi vires offe-
 rebat, ut totum quoque Neapolis Re-
 gnum armis recuperare posset. Equi-
 dem Joannes hoc suum propositum ali-
 quamdiu differre compellebatur, eoquod
 Petrus Fregosus supremum sibi in Genu-
 ensi Republica regimen vindicasset, ac
 inde Gallos propellere machinaretur.
 Postquam vero Dux hanc factionem dis-
 sipaverat, Genuenses omnem, quam
 poterant, illi opem contulerunt, ut co-
 ronam olim a Patre suo amissam recupe-
 raret. Igitur decem longiores naves
 tresque alias alterius formæ suppeditant,
 trimestre belli stipendium numerant, &
 ad sustinendos belli sumptus sexaginta
 aureorum milia solvunt; adjunxit quo-
 que Joannes huic classi duodecim illas
 naves, quas Renatus Andegavenfis ejus
 Parens olim Massiliæ instruxerat; hoc
 itaque navium apparatu munitus, ex-
 plicatis velis portu solvit, jactisque ad
 Cajetam urbem anchoris subsistit.

§. CXXXIV.

*Urbes in Regno Neapolis a Duce
 occupatæ.*

Joannes inde ad Coteronensis Marchio-
 nis ditiones in Calabriam transeundi
 con-

consilium cepit, sed accepto nuntio, Marchionem a Ferdinando carceri datum, Sæcul. XV.
A.C. 1459.
 cursum relegi iussit in Ragum, quam urbem Dux Sueffæ Joanni tradidit, quamvis Eleonoram Regis Neapolitani Sororem in conjugem haberet. Postmodum Castellomari exscensione facta, Sueffiam venit, totamque Laborem Regionem infestis armis invadit, dum interea Sueffensis Dux, occupata Calviæ urbe, plures alios regni proceres, ut & ipsi Calabriæ Ducem armis tuerentur, exemplo suo incitavit. Dux Calabriensis ita auctis plurimum copiis suis, ad Aprutium Provinciam penetravit, & Aquilam urbem suæ potestati subjecit, indeque in Apuliam progressus est, ubi Hercules Estensis Marchio Victori suas quoque junxit copias: Paulopost & reliquæ urbes, Luceria, Fovea, oppidum S. Severi, Troja, & Manfredonia Calabriensis Ducis imperio sese submiserunt. Ferdinandus cum exercitu suo usque ad Calviam urbem procurrebat, sed repentina hac suorum defectione conterritus, Neapolin rediit, ubi novum calamitatis suæ argumentum edocebatur: comperiebat enim, quod tres fratres Daniel Ursinus Samosensis, Jordanus Tripaldensis Comites, & Felix Salernitanus Princeps inimico suo adhærere parati essent; hisce ergo exitiosis ut obviaret consiliis, Mariam spuriam Filiam

liam

Secul. XV. A.C. 1459. liam suam Felici in uxorem dedit, quo
connubii vinculo Principem ab hostium
factione avulsum, sibi vero obstrictum
tenuit.

§. CXXXV.

*Dux Sueffensis Ferdinando necem
machinatus.*

Dux Sueffensis vatiniano, quo Ferdi-
nandum prosequeretur, odio nimi-
um indulgens, eundem sicaria manu e
medio tollere, animo constituit; ut au-
tem suum sibi consilium ex voto succede-
ret, Gregorium de Cariglia suum a se-
cretis ministrum ad eundem ablegavit,
significans, se habere, quæ cum Rege
conferret. Ergo pro colloquii loco haud
procul ab exigua Ecclesia campus qui-
dam designatur, qui nonnisi secundo la-
pide a Teana urbe tum Gallis subdita
femotus erat. Inter eos quoque conven-
nit, compareret quivis ducibus duntaxat
arbitris stipatus. Ferdinandus præfa-
tum Carigiam & Joannem de Ventemel-
lio, Viros dandis potius consiliis, quam
gerendis armis aptos secum duxit: ut
tamen debitam in præcavendo discrimi-
ne solertiam adhiberet, ipse armis se
præcinxit. Ducem vero comitabantur
Phœbus de Anguillaria, & Jacobus de
Montaniana, uterque animi robore præ-
stans,